

XVI.

DE
ABSTRACTIONE

Disputabit publicè

Sub PRÆSIDIO

CHRISTIANI DONATI,

Log. & Met. Prof. Publ.

AUGUSTUS WOLFIUS,

Lœbejunâ-Saxo.

Ad Diem X. Octobris, A. O. R. clc lcc XC.

In Majori Auditorio.

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÛDTERI, Acad. Typ.

a. XXVII. 9.

Coll. diss. A
27, 9

11

DE
ABSTRACTIONE

Disputatione publice

Sub PRÆSIDIO

CHRISTIANI DONATI

Log. & Met. Prof. Publ.

AUGUSTUS VOLFIUS



at. Dnm X. Octobr. A. O. R. etc. etc. etc.

In Majori Auditorio.

WITTMER G.
Joh. Christiani SORRENTINI, Auct. Typ.

CUM DEO!

Positio I.



Abstractio, qua utuntur universe omnes disciplinæ, non Realis illa est, quæ quid reapse ab altero avellitur, ac separatur; sed Mentalis, seu Intellectualis ea, quæ quid mente tantum ab altero sejungitur, (Logica, à sede sua disciplinari, ad quam spectat ejus tractatio, haud incommode alias etiam appellitata.)

II.

Quæ quidem non ex necessitate quadam, sed solius declarationis (tantum non supervacuæ) gratia distinguitur nonnullis in Negativam, & Præcisivam. Diciturque Negativa Abstractio, quando mens unum eorum, quæ conjuncta, vel idem sunt, de altero tollit, removet, ac negat. Præcisiva vero, quando mens nostra unum ex iis, quæ conjuncta, vel idem sunt, apprehendit, seu concipit, altero non apprehenso, seu non concepto. Sed cum prior earum in re ipsa nihil sit aliud, quam unius de altero, præter rem facta, negatio, toto cælo à posteriori differens; perspicuum est, satis duriter illam, atque contra vim vocis, nomine abstractionis venire.

III.

Quanquam vero Abstractio in genere respectu realis, & mentalis, analogum per proportionem sit, reali proprie, & mentali improprie (si primum vocabuli usum, in ipsius origine fundatum, spectes) competens: minime tamen hoc repugnat, quo minus & mentalem, præcisivamque abstractionem (pro ratione usus termini infecuti, ac in philosophia hodie usitati) proprie dictam abstractionem, ac præcisionem appelles.

IV.

Quam proinde si paucis definire voles, ejusmodi mentis actum dixeris, quo quid concipitur, non simul directe ac explicite concepto altero, cum quo illud alioqui cohæret.

V.

Eaque variat magnopere. Primum nempe, pro varietate

A 2

tate

tate ejus, quod, & à quo, abstrahitur: sic, ut alia Abstractio sit, qua essentia rei abstrahitur ab illius existentia; aut vice versa: alia, qua essentia rei, ab ipsius singularitate; aut vice versa: alia, qua essentia ac natura rei, ab ejus personalitate, seu suppositualitate; aut vice versa: alia, qua gradus rei essentialis unus, ab altero: alia, qua pars à toto; aut vice versa: alia, qua essentia rei, ab ipsius proprietatibus; aut proprietates, ab essentia: alia, qua subjectum, à quibuscunque suis adjunctis; aut adjunctum quodvis, à suo subjecto: alia, qua una proprietates, ab altera ejusdem rei; unumve adjunctum, ab altero: alia, qua res, à suis circumstantiis: deniq; alia, qua quodvis superius, ab inferiori, tanquam universale, à minus universali, abstrahitur. Tum &, pro diversa habitudine ejus, quod abstrahitur, ad id à quo abstrahitur: sic, ut Abstractio, vel sit rei cum altera, à qua abstrahitur, realiter identificata; vel rei ab altera realiter distincta quidem, sed unita tamen; vel deniq; rei ab altera, realiter distincta quidem, non tamen unita, sed qualitercunque; saltem connexa: itemq; alia, quando id, quod abstrahitur, in illius, à quo abstrahitur, conceptu explicite includitur; alia, quando solum implicite; alia, quando id, à quo abstrahitur, saltem connotat: & rursus reciproca alia, quando id, quod abstrahitur, vicissim ab isto abstrahere licet; alia non-reciproca, quando hoc facere non licet. Atq; hæcenus de Abstractione Particulari, qua quivis conceptus particularis à conceptu alio abstrahitur. VI.

Jam vero ponunt communiter Peripatetici & Abstractionem quandam quasi Universalem, ac Disciplinarem, qua nempe tota disciplina in evolutione sui subjecti utitur. Eamque triplicem, & quidem à materia præcise, faciunt, pro triplicitate (quam & supponunt ante, & vicissim inde, non absq; circulo vitioso, stabiliunt) disciplinarum theoreticarum: aliam pro Physica; aliam pro Mathesi; aliam pro Metaphysica; quibus eadem, si non qua modum circa res suas occupandi, certe tamen tanquam admodum notabili, ac tantum non essentiali, discrimine ab invicem distinguantur. Etsi discrepent nonnihil in iisdem determinandis. Nam nonnulli quidem eas sola mentione materiae singularis, & universalis definiunt: Phy-

Phyficam Abstractionem esse, dicentes, à materia signata, seu singulari, ac individua; Mathematicam, à materia, cum singulari, tum universalis, secundum rationem tantum; Metaphyficam, à materia omni secundum rem & rationem. Plerique tamen & materiae sensilis, seu sensibilis mentionem hoc loco faciunt; sed adhuc sub quadam discrepantia. Quidam enim omnes illas, aut certe duas posteriores, abstractiones ad materiam sensibilem, dicta ratione, restringunt. Aliqui vero, Abstractionem Phyficam esse, dicunt, à materia sensibili singulari; Mathematicam, à materia sensibili singulari & universalis, non tamen intelligibili; Metaphyficam, à materia & sensibili, & intelligibili. Denique alii, Abstractionem Phyficam esse, ajunt, à materia singulari, non tamen sensibili; Mathematicam, à materia sensibili, non tamen intelligibili; Metaphyficam, à materia sensibili & intelligibili. Qui quidem in materia sensibili & intelligibili explicanda ita variant auctores, ut, qui prioribus definiendi modis utuntur, per Materiam Sensibilem intelligant ipsum corpus naturale, seu rem corpoream, tanquam quæ, affecta qualitatibus sensibilibus, ipsa per easdem sensibilis est; & per Materiam Intelligibilem, quantitatem, ut quæ in sensibilibus quidem existit, non tamen ipsa sensibilis, sed saltem intelligibilis est: qui vero modo definiendi ultimo, per Materiam Sensibilem, rem corpoream, quatenus ipsa sensibili aliqua qualitate est affecta, per quam in sensus incurrit; & per Intelligibilem, quatenus ea nude in sua quidditate, & sine qualitate sensibili spectatur, itaq; non sensu, sed solo intellectu est perceptibilis.

VII.

Qui auctorum dissensus uti non parum suspectam reddit istam eorum de triplici abstractione disciplinari doctrinam: ita rationes, pro necessitate abstractionis à materia ad scientiam rerum comparandam, iisdem traditæ ac allegatæ, cuiquam, aliquid solidi hic expectanti, satisfacere quoquam modo possunt. Veluti nempe sunt: quod, cum scientiæ objectum perpetuum & necessarium esse debeat, materia autem vicissitudinis & contingentiae causa sit, res eatenus demum sensibilis sit, hoc est, certa & necessaria cognitione percipi possit,

fit, quatenus intellectus eam à materia abstrahit, id est, sine materia expendit: quodque, cum scientia intellectus nostri, qui immaterialis est, perfectio existat, objectum ejus debeat aliquo modo abstractum esse à materia, & ita quodammodo ad spirituales naturas redactum: item, quod cum materia ex se ignota sit, (ut quæ nullum includat actum, per quem solum res cognoscantur & distinguantur, sed sit pura omnino potentia,) ex ea fere tota nascatur obscuritas, quæ in rebus cognoscendis reperitur: & quod adeo res quæq; sint eo perfectius intelligibiles, quo magis abstrahant à materia; ipsaque cognitio eo certior, quo sit de objecto immaterialiori, & consequenter abstractiori: & quæ istiusmodi.

IIX.

Sed ut, dimissis Physica & Mathematica Abstractionibus, saltem Metaphysicæ, forsitan omnium intricatissimæ, aliquantulum inhæreamus: docent Peripatetici, Abstractionem à materia (τὸ σενσιβιλί alias addentes, alias omittentes) secundum rem & rationem esse, qua quid ita abstrahitur à materia, ut in suo conceptu nullam implicet materiam: atque adeo Abstracta à materia secundum rem & rationem esse, quæ in suo formali, & definitivo, vel quidditativo conceptu nullam involvunt materiam: & Abstrahere à materia secundum rem & rationem, idem atque ea considerare, quæ in suo conceptu ac essentia nullam involvunt materiam, nec signatam seu singularem, nec universalem, nec sensibilem, nec intelligibilem; aut, quæ nullam habent materiam, vel à parte rei, vel à parte conceptus, & juxta ordinem apprehendendi nostrum; item, ut non solum non consideretur materia, sed & à parte rei non statim involvatur materia. Ad quod autem rectius exponendum monent porro: aliquid Abstractum dici à materia secundum rem & rationem, vel absolute, seu secundum essentiam, aut repugnantiam, quod non tantum extra materiam est, sed & nulla ratione in ea esse potest, seu, cui repugnat materia, ac esse materiale, cum in se, tum in inferioribus, ad inferiora descendendo; vel permissivè, seu secundum indifferentiam, quod solum in suo conceptu formali non importat materiam, non tamen repugnat esse in materia, & extra materiam: atque adeo & Abstra-

stra-

practionem à materia secundum rem & rationem, aliam esse secundum essentiam, seu absolutam, quando intellectus sine materia considerat ea, quæ revera sunt sine materia secundum totam suam rationem; aliam secundum indifferentiam, seu permissivam, quando intellectus sine materia ea considerat, quæ ex una quidem parte sunt in rebus materiæ immerfis, ex altera tamen in rebus immaterialibus. Volunt igitur, Metaphysicam abstrahere à materia secundum rem & rationem, quatenus tractat, cum de iis, quæ abstracta sunt à materia secundum essentiam, puta de substantiis immaterialibus, tum de illis, quæ abstracta sunt à materia secundum indifferentiam, id est de transcendentibus: itaque recte Metaphysicæ objectum poni ens quatenus est abstractum à materia secundum rem & rationem.

IX.

Ad quam quidem rem (vel affecutu satis difficilem) dijudicandam, haut parum, credo, intererit adhuc notare: Abstractionem à materia secundum rem & rationem sumi respectu abstractionis à materia secundum essentiam, & secundum indifferentiam (pro intentione auctorum) posse, vel tanquam totum respectu suarum partium, quas discrete involvat; vel tanquam genus respectu suarum specierum, quas sub se contineat. Priori nempe modo definienda Abstractio à materia secundum rem & rationem erit, quod sit, quia aliqua eorum, quæ abstrahuntur à materia, ita à materia abstrahuntur, ut non tantum non in suo conceptu involvant materiam, sed nec esse quidem in materia possint; alia vero ita, ut tametsi esse in materia possint, quinimo etiam ratione alicujus inferioris sint in materia, tamen in suo conceptu formali nullam materiam involvant. Posteriori autem modo, quod sit, quia ita aliquid à materia abstrahitur, ut non tantum in suo conceptu formali nullam materiam involvat, sed & ad minimum ex parte, non sit in materia. Sic ut priori modo sumpta ista Abstractio ita appellitetur, quia juxta eam partim illa dicantur à materia abstracta, quæ etiam secundum rem plane omnem materiam excludunt, partim ista, quæ saltem in suo conceptu, aut secundum rationem suæ conceptionis materiam non involvunt; posteriori autem modo, quia juxta ipsam ea omnia dicantur à materia abstracta, quæ

quæ non tantum in rationis conceptu, seu definitione sua à ratione formata, sed & à parte rei, si non adæquate, & in univ-
ersum quæ omnia inferiora, saltem inadæquate quæ aliquod in-
ferius, nullam materiam involvunt. Scilicet etsi non satis di-
serte definiant auctores, qui abstractionem hanc asserunt, ac
Metaphysicæ vendicant, utro horum modorum eam velint in-
tellectam: videntur tamen plerique acceptionem posteriorem
potius intendere. Sed quod cum adeo certum non sit, referre
de utraque illa acceptione, in gratiam pro eadem sententia dis-
putantium, quæstionem hic instituere.

X.

Quibus adeo præmissis, dico summatim, ad hanc dirimen-
dam controversiam:

1. Tametsi pleraq; , quæ traduntur in Metaphysicis, conjun-
ctim sumpta, abstracta à materia sensibili secundum rem & ra-
tionem dici possint, juxta priorem termini hujus, jam modo
constitutam, acceptionem: non tamen vel ea omnia, vel sola sic
à materia sunt abstracta.
2. Idemque prorsus & secundum posteriorem termini hujus
acceptionem est asserendum.
3. Unde adeo Abstractio à materia sensibili secundum rem,
& rationem Metaphysicæ propria non est.
4. Et sicuti Abstractio à materia absoluta, seu secundum essen-
tiam plane nulla est à materia abstractio: ita nec Abstractio à
materia secundum rem & rationem (ab absoluta & permissiva
præcisa) proprie dicta existit.
5. Et quanquam ens, Metaphysicæ objectum, una cum cæte-
ris transcendentibus, abstractione à materia permissiva, seu se-
cundum indifferentiam gaudeat: non tamen vel ea, vel ipsa
Abstractio à materia secundum rem & rationem, exhibet forma-
le Metaphysicæ objectum.
6. Nec proinde ens, quatenus est à materia sensibili re & ra-
tione abstractum, dat genuinum Metaphysicæ objectum.

101 (0) 100

Coll. diss. A. 27, misc. 9